

habere consuevit singulis annis XII marcas denariorum Osnaburgensium, que valuerunt et valere consueverunt XXXII florenos auri de Florencia estimacione comuni. Quodque propter predonum, raptorum, tyrannorum et aliorum iniuriosorum incursum predictae curtes omnes et singulos^d adeo et in tantum fuerunt et sunt incendiis et rapinis concremate, devastate, destructe et irrecuperabiliter desolate, quod prefata preceptoria nichil ab eisdem curtibus seu ipsarum aliqua a XX annis et citra adhibita omni diligentia percipere potuit nec percepit. Item predicta domus habuit, habere et tenere consuevit, habet et^e tenet XVIII curtes in parrochia Bramesche Osnaburgensis diocesis, ex quibus curtibus et terris ac possessionibus ipsarum curcium habuit et recipere consuevit et habet et recipit LX molter frumenti, que valuerunt et valere consueverunt singulis annis LX florenos auri de Florencia. Item habuit et recipere consuevit et habet et recipit singulis annis ex eisdem curtibus VI marcas dictorum denariorum, que valuerunt et valere consueverunt et valent XVI florenos auri de Florencia estimacione comuni. Quodque fructus, redditus et proventus prefatarum XVIII curtium singulis annis pro tanta pecunie quantitate suprascripta locari et arrendari possent et ad firmam dari et pro tanto locati et arrendati fuissent et locarentur singulis annis comuniter, si locacioni expositi fuissent et exponerentur, fuissentque inventi et invenirentur emptores quamplures, qui ipsas pro tanto emissent et arrendissent. Item dicimus, quod a X, XX et^f XXII annis et citra continue fructus, redditus et proventus predictae domus fuerunt, esse consueverunt et sunt adeo tenues et exiles, quod ad sustentacionem congruam preceptorum necnon militum et oblatores predictorum et ipsorum neccessariorum familiarium et ministrorum et ad supportandum alia nobis incumbencia onera non suffecerunt nec sufficiunt ac eapropter prefata domus maxima dampna sustinuit et passa fuit. Quodque preceptores ipsius domus pro tempore existentes pro sustentacione sua predictorumque militum, oblatores et familiarium et pro reparacione neccessaria ac conservacione curiarum et possessionum ad eandem domum pertinencium quamplura debita contraxerunt et contrahere neccessario habuerunt cum diversis suis creditoribus usque ad summam septingentorum florenorum auri^g salvo pluri et tantumdem mutuo receperunt et eos recipere oportuit

d) *Richtig* singule.

e) habet et *verdoppelt*.

f) *Über der Zeile*.

g) auri florenorum *vor Korrektur*.